

D. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
<sup>DE</sup>  
**PHOENICE  
AVE,**  
QVAM,  
Consentiente Ampliss. Philosoph. ordine in Reg.  
Acad. Aboënsi,  
PRÆSIDE  
**CAROLO FRID.  
MENNANDER,**

Scient. Nat. PROFESSORE Reg. & Ordin.

Publico examini sifit

JACOB ZIDEEN,  
*Borea Fennio.*

Ad diem XVI. Aprilis, Anni MDCCXLVIII.  
Loco horisqve consuetis

---

ABOÆ, Excid. JOH. KAMPE, Reg. Acad Typ.

VIRO spectatissimo,

Dn. HENRICO SONCK,

Consiliario Civitatis Raumoënsis æqvissimo,  
Parenti optimo.

**C**ratulor mibi, Parens indulgentissime, de occasione  
comoda, qua Tua in me merita publice jam pro-  
fiteri licet; quae tanta sunt, quanta a Parente optimo  
unquam exspectari possunt. Ex quo enim paternam in  
Te mei suscepisti curam, nihil eorum intermissisti, quae  
paternum etiam indicarent favorem, meamque fortu-  
nam Tibi maxime cordi esse, luctucentissime monstrarent.  
Cui paterno plane affe&ui, cum nil babeam, quod  
reponam; levissimum hocce munus, fabulas qasdam anti-  
qvorum continens, animo tamen non fucato vel fabuloſo,  
Tibi soli offero. Quod, si benigna fronte aspicere di-  
gneris, votis meis ex aſe ſatisfiet. Meum ulterius erit,  
pro incolumentate Tua vota, quoad vixero, nuncupare ca-  
lidiffima.

Parentis Carissimi

Filius obedientissimus,  
JACOB ZIDEEN.

I. N. D.

P R O O E M I U M .

**Q**uantam nonnulli antiquiorum, rebus novis & inauditis excogitandis, impendebant operam, ex scriptis illorum, quæ passim occurruunt, manifestum est. Fixerunt hi varia, quæ in rerum natura non inveniuntur, multaque tanquam vera proposuerunt, quæ tamen manifestis argumentis refelluntur. Ita non modo in reliquis animalium classibus varias cudebant fabulas, & effingebant species, quæ alibi, quam in eorum cerebro non existunt, utpote satyros, agnos Scythicos, hydras, monocerotes, basiliscos, dracones volantes, (\*) aliasque innumeratas, sed in ornitho-

A logia

(\*) Observavit jam Petrus Borellus in hist. obs. med. phys. Cent. II. obs. LXXIV, illa

logis potissimum fœcunda fuit illorum fingendi  
tolertia. Ita *Egyptii & Graci* avium genus i-  
pla terra antiquius venditare ausi sunt, unde  
*Aristophanes* perhibet, alaudæ parentem obiisse,  
neque fuisse terram, ubi sepeliretur. Superim-  
posuisse itaque ipsam patrium tumulum capiti,  
& secum, quocunqve tenderet, deportasse. No-  
ta est *Pythagoricorum & ex Peripateticis* non-  
nullorum absurdæ assertio, non posse sciri, a-  
visne an ovum prius generatum sit, cum neu-  
trum sine altero gigni possit, & inde ad æter-

nitatem

qua ostenduntur, horum animalium sceleta,  
arte omnia parari. Vidi se ex mure exco-  
riato ♂ exsiccato basiliscum confectum, ex pi-  
scie raja exenterato collo oblongato ♂ corona  
incisionibus facta, draconem volantem corona-  
tum ortum duxisse. *Mandragoras* antropomor-  
phitas fieri ibidem monuit ab agyrtis, radice  
*Bryonia vel arundinis*, cultro ad formam hu-  
manam accommodata, quæ tandem aenis  
transfoſſa, ubi pili desiderantur, ♂ defoſſa, ra-  
dices ibi agit, ♂ denique vernice quodam-  
coloratur.

3

nitatem mundi deducta sophismata. (a) Varias  
porro avium species propagari contendebant an-  
tiqvi generatione illa, qvæ dici sivevit, æqui-  
voca. In *vulturum*, e. g. genere marem nul-  
lum esse, concipere vero femellas noto aut  
subsolano vento obverfas (b); *perdices* aura  
a maribus flante, vel voce eorum tantum aus-  
dita, prægnantes fieri (c); *Ibides* (d) &  
*corvos* (e) ore parere. Qvam ludicra, qvæ-  
so, qvamqve naturæ repugnantia ea sunt, qvæ  
de volucre arborea, *Bernicla* vel *ansere Scotti-*  
*co*, perhibentur. Tam mira circa ejus ortum  
est auctorum discrepantia, ut vel inde mox  
qvis merito suspicari possit, facta esse omnia,  
qvæ de illa ave narrantur. Illam nonnulli fru-  
ctui arboris cuiusdam in mare deciduo, tan-  
quam essent anteres poma vel pira, ortum de-  
bere perhibent; alii ex putridis navium fra-  
gmentis more tungorum, vel e conchis qvi-  
busdam marinis, vel ex alga scopulis marinis

adna.

(a) Plutarchi *sympos.* lib. II. quest. 3. *Macrobi.*  
*Saturn.* lib. VII.

(b) *Conf. Eliani hist. an. L. II. c. 46.* & alios.  
(c) *Plin. b. n. Libr. X. c. 33.* (d) *Elian. l.*

<sup>4</sup> adnata, vel denique ex solo oceano nasci has  
aves existimant (f). Nec minor circa propri-  
tates avium erat olim fingendi licentia. Ca-  
ptandis auguriis hæ aptissimæ celebantur, nec  
facile ulla earum est, de qua non commenta  
aliqva excogitaverint, vel nimis creduli arri-  
puerint. Ita credebant *Arabes*, aquilam tan-  
tum spatii, quantum ortum & occatum inter-  
est, unico die pervolare posse (g). Cui non  
nota est vel de *pelicano* sanguine pullos nutri-  
ente, vel de *cantu cygnorum*, lepida fabella \*\*.  
Sed non lubet figmentorum ejusmodi telam ul-  
terius pertexere, cum recentior naturæ inda-  
gatio

XXII. (e) Plin. libr. X. c. 12. (f) Galp.  
Schotti phys. cur. p. 961. Et alii pasim. (ans.  
sam vero figmenti vide in System. Linnæi in-  
ter animalia paradoxa.

(g) Bocharti hieroz. p. II. libr. 2. C. 2. \*\* Hanc  
e Septentrione ad Gracos aliasque gentes dimi-  
nasse vult Rudbeckius Atlant. p. II. p. 248.  
Eldras vero Ezardus in disp. de cygno ante  
mortem non canente, p. 9. hoc commentum  
esse Simonis historiam, fabulis involutam, con-  
jectat.

5

gatio illa jam longum valere jusserit. Hisce  
fictionibus merito ea annumerantur, quæ a va-  
riis varie de Phœnicio, ave quadam, prohiben-  
tur. Qorum sententias jam breviter indicare,  
atque Tecum, b. lector, communicare, animus  
nobis est, & simul scrutari, cujus rei gratia  
hanc fabulam excogitaverint, & an possit de-  
tegi veritas, quam emblemate hoc occultatam  
voluere? Omnia vero benevolo Tuo judicio  
officiole subjicientes, benigniorem abs Te ex-  
spectamus judicem.

§. I

**U**T autem ea, quæ hic dicenda occurunt,  
ordine, quantum fieri potest, convenien-  
ti, prosequamur, luet ex denominatione fa-  
bulosæ hujus avis, ordiri. Videtur illa suam  
debere originem Phœniciam, provinciam cuiam  
regionis Syriae, in Asia, ubi a Laetantio ver-  
tari prohibetur; & sunt, qui utramque &  
regionis & avis denominationem, απὸ τῶν Φοινίκων,  
a palmis, quarum copia regio illa abundaret,  
ortam volunt. (a) Alii tamen alium, in re-  
gionibus calidissimis, ejus habitationi assignant  
locum

(a) Stephani dictionarium hist. geogr. poëticum

locum. Communis plerisque est sententia, il-  
lam inveniri in *Arabia*. Nonnulli inaccessa  
loca habitare existimarentur. Alii *Heliopoli*, civi-  
tate *Egypti*, primo vitam asservare. Memora-  
bilia quæ de *Phœnice* a variis varie commemo-  
rantur, plurima sunt, e quibus tamen hoc re-  
liquis anteponendum esse ducimus, quod extra  
communem naturæ ordinem propagetur, &  
quod nativitatem mors antecedere debe-  
at. Decessus autem ejus, sequentii ratione de-  
scribitur. Transactis pluribus annis, in quo-  
rum numero definiendo auctores non conveni-  
unt \*, mortem sponte sibi conciscere dicitur.  
Putatur præsentire finem vitæ lux, ideoque con-  
struere nidum ex calidissimis aromatibus, ex  
cassia, cinnamomo, thuris surculis & simili-  
bus, quæ facillime inflammantur. Hoc pera-  
cto, nidum suum condescendere, & conversa  
ad aspectum solis eique supplex, solaribus se ex-  
ponere

\* Jonstonus maxime vulgatum disicit, annos quin-  
gentos hanc avem vivere. Philostrato sexenti  
placent. Pliniani codices nonnulli 360. alii 640.  
vel 660. annos Phœnici tribuant. Vossius ex Ta-  
cito de 1461. annis loquitur. Maximum au-

ponere radiis, alarumque continua ventilatione  
ignem excitare, siveque se cremare singitur. Ex  
cremato novum oriri pullum convenit tere in-  
ter omnes, quomodo vero id fiat, ambigitur.  
Plinius vermiculum ex ossibus & medullis ve-  
teris Phoenicis primo procreari, & ex eo pul-  
lum nasci scribit. Philostratus nulla vel ossium  
vel medullarum mentione facta, ex cinere ver-  
mem, ex verme novam alitem generari nugae-  
tur. Oppianus ex cinere pullum exoriri refert.  
Horus ex effuso e patris vulnere, quod sponte  
sibi, nimia ad terram allisione, infligit, san-  
gvine, vel cruento, procreari novam sobolem  
affirmat. (b) Porro, hunc pullum priori pa-  
rentationem instituere dicunt, & nidum de-  
portare

tem annorum numerum ei assignat Charemon  
Ægyptius, sex mimirum supra septem milie.  
Conf. Jonston. Hist. Nat. in appen. de fabu-  
losis avibus, Cap. 3. pag. 152. Cum bujus  
alitis vita magni anni conversionem fieri, ite-  
rumque significaciones tempestatum ♂ siderum  
eadem reverti, credidit antiquitas. vid. Plin.  
L. X. c. 2. [b] Videatur Horri Apollinis  
hieroglyph. ed. a Nic. Caussino, p. 46.

portare in urbem *Hielopolin*, ibique in aram solis reponere. De loco tamen, quo reliquiae parentis deportantur, non eadem omnibus est sententia. Modus, quo utitur pullus in deferendo nido, a nonnullis sic describitur: quod ex myrrha componat ovum, vel orbiculare sepulcrum, quantum ipse terre possit; quod experatur utrum possit id terre; quod ovum evacuet, & cineres parentis infundat; quod foramen alia myrrha compleat; quod denique tantum onus deportet in templum solis. (c) De his omnibus, quae alii prolixius exposuerunt, Tacitus breviter sic: *Confecto annorum numero ubi mors propinquat, suis in terris struit nidum, eique vim genitalem adfundit, ex qua fetus oritur* (d) *prima adulto cura sepeliendi patris; neque id temere, sed sublato myrrhae pondere, tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subit patrum corpus, inque solis dram perfert atque adolet.* (d) *Egyptii vero asserebant, patrem cum pullo Heliopolin proficisci, & ibi* demum,

(c) Wolfgang Franz. *Historia Animalium Part. II. C. 3. p. 281.* item. Herodot. *Liber II. Euterpe, pag. 51.* (d) *Liber VI. c. 28.*

demum; simul ac sol ortus est, mori illum;  
pullum mox in suam redire patriam, at phœ-  
nicem vita functum a Sacerdotibus Ægyptiis se-  
pulturæ mandari (e). Miram hanc Phœnicis  
metamorphosim ita describit in peculiari carmi-  
ne Laetantius:

Ipsa sibi proles, suns est pater, & suns haeres;  
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi,  
Ipsa quidem, sed non eadem: quia & ipsa nec  
ipsa est,  
Æternam vitam mortis adepta bono. (\*)

B

§. II.

(e) Caussinus. l. c. (\*). Nec minus eleganter avis  
nostra fata exprimit Ren. Francois in essay des  
merveilles de nature, 1638 ed. pag. 70. seqq. Luy  
seul est temoin de tous les ages du monde, &  
a venu metamorphoser les ames dorées du siecle  
d'or en argent, d'argent en airain, d'airain  
en fer; lui seul n'a jamais fausse com-  
pagnie au ciel, & au monde, lui seul se  
joue de la mort & l'a fait sa nourrice &  
sa mere, luy faisant enfanter la vie. Luy a  
privilege du temps, qui ny met, ny sa faux,  
ny sa pince, & en fin il semble Roy & sou-  
verain seigneur du temps, de la vie, & de

**I**n ter insigniora, quæ de fabulosa hac ave ulterioris annotantur, merito etiam hoc retendum esse centemus, quod unica tantum in toto orbe sit, rarissimeque hominum conspectui se exhibeat, unde etiam proverbium, rarior Phœnix, enatum est. Hinc quoque ad designandam rem miram & insolitam hodiernum emblematis loco solet adhiberi hec avis. Tale Reginæ Christinae, cum post relictæ regna & denegatam fidem veram ingredereetur

Augu-

la mort ensemble. Car quand il se sent chargé d'ans, il fait un amas qui seul au monde n'a point de nom; car ce n'est pas un nid, ou un berceau, ou lieu de sa naissance; puisque il y laisse la vie: aussi n'est ce pas un tombeau, un cercueil, ou une urne funeste, car de là il reprend sa vie. Et post pauca exclamat: Miracle, car il est son fils & son pere: il est sa nourrice & son nourrisson; il est son meurtrier & sa mere; lui seul est toute sa parentelle, seul heritier de la royauté; lui est son Adam & son Eve, & sa vie, & sa mort, enfin il doit tout a soy mesme.

Augustam Taurinorum triumphali apparatu,  
construebatur, cum lemmate: Phœnicem viser-  
e quicque avet, huc eat. Hanc molli in Ara-  
bia nidulari, fabula est. In Svecia nascitur.  
Regnante Claudio Roma visam, ne credas. A-  
lexandro Septimo ausspicante Romanum primum ad-  
ventavit. Unam esse tandem qui putat, male  
computat. Regnatum, Sapientum, bellatorum,  
viraginum Phœnix, quadruplex & unica est Phœ-  
nix: Christina Alexandra, Magni Gustavi Fio-  
lia (a). Herodotus se alitem hanc nunquam  
nisi in pictura, vidisse testatur, eamque si pi-  
ctoræ assimilis est, maxima ex parte eum ha-  
bitu tum magnitudine aquilæ simillimam dicit,  
pennis colore partim aureo, partim rubeo, mi-  
cantibus (b). Alii pavone majorem scribunt,  
formam ejus sequenti ratione depingentes. Ro-  
strum ei tribuunt trifistulare, per quod cum  
spirat, possit edere sonos musicos. Caput plu-  
meo apice cohonestari dicunt; faciem crista  
ornari, fulgore auri circa collum splendere,  
cætera purpureum esse, coeruleam caudam.

B2

roscas

(a) Ennan. *Ihesauri inscriptiones*, p. 95.(b) Herod. *Lib. II.* p. 51.

roseas pennas distinguere. Perhibetur *Phœnicem* devolasse in *Ægyptum*, Q. Plautio, sex. *Papinio Coss.* allatamque in urbem *Claudii Principis* censura, & in comitio propositum, quem tamen falsum esse neminem dubitare refert *Plinius* (c). De victu quoque multum disceptatur. Quidam rore vietitare dixerant, alii vento. *Ovidius* thuris lacrymis & succo amomi vesici scribit. Sexum ei tribuit nullum antiquitas, inter vitæ tamen remedia reposuit, unde *Plinius* a magis ex cinere ejus nidoque medicinas parari scribit (d).

§. III.

**H**Æ fere variæ sunt variorum sententiæ, de fabulosa hac ave; licitum enim multi iudicarunt, in re tam ignota pro arbitrio finge-re. Hæc vero quilibet, primo quoque intuitu, non nisi nugas esse intelligit, adeoque non prolixa refutatione indigere facile perspicit. Indubium est, varios veterum, qui tamen multa de hac ave operose protulerunt, non ipsos

quidem

(c) *Libr. X. c. 2.*

(d) *Jonst. Hist. Nat. in Append. de fab. avibus C. III. p. 152,*

quidem credidisse, illam in rerum natura inveniri; hinc aliqui eorum aliorum tantum relata referunt, ipsi prudenter judicium suum suspendunt. Certe qui hodie hæc talia sibi persuaderet, nihil plus ageret, quam ut cum ratione insaniret, adeo non revelationi modo, sed etiam naturæ ordini sunt contraria. Et si nullum aliud argumentum suppeteret, ad destruendam fabulosam hanc sententiam, sufficit, neminem unquam exitisse, qui asseverare ausus est, se vidisse avem hanc; neque tot annorum experientiam, quod ad cognoscendum vitæ illud spatium, quod Phœnici tribuitur, habere nunc quisquam potest mortalium. Unde etiam Joh. Eusebius Nierembergius (a) illum pro fabulo habet, mentem suam sequenti ratione declarando: *An Phœnix illo ingenio quo narratur vere sit in censu naturæ?* Turba semper favit, artifex fabularum, doctores dubitarunt. Ratio probabilis resistit, non levibus fundamentis ex penu ipsius naturæ. In hac site noster obtutus adigendus seqvester: qui se alitem unicum

[a] vid. ejus Hist. Nat. Antverpiæ edit. L. I.  
c. XV. p. 9.

in universo vidisset, ex cinere suo recreari, contra omnem rationem, & repugnantie speciem exemplo absentiremus. Majora miracula naturae credimus, & sunt: at quia impossibile est, omnia quæ in universo patent, uni patuisse, cum ejus omnes partes nondum viderimus, (erat enim necesse cunctos scrutari prius angulos orbis, ut asseveretur unica ista avis) quia etiam funus illud vitale, & ceremoniam moriendi nemo habetenus vidit, nemo fide dignus narravit vidisse quod videri posset, satis iam damnavit sensus, quod nemini comparet. Quæcum ita sint, facile cuique liquet, fabulosum hoc inventum, facili negotio se ipsum refutare.

## §. IV.

**S**ed lepositis fabulis, iam ad seriora deve-  
niamus. Ex iis quæ §. præc. breviter iam  
dicta sunt, cuilibet manifestum esse centemus,  
*Phœnicem* hunc in rerum natura non inveniri,  
sed esse pictoribus & Poëtis relinquentem. Solen-  
ne tamen erat, ceu notissimum est, antiquis,  
veritatem sub emblemate quodam, haud raro  
fabuloso, inculcare. Ita adhibebatur *Phœnix* no-  
ster ab *Ægyptiis* tanquam symbolum solis, nec  
non

non ad designandam animam longo hic tempore agentem; eum, qui fero e regione perigrina ad suos redeat; diuturnam quoque rerum instauracionem (a). Ipsi postmodum in ecclesiis Christiana Patres putabant, se per hanc de *Phœnix* fabulam, cui tamen historicam fidem aliqui eorum videtur adiecisse, posse sublevari, in percipiendis rebus, captum humanum alias prouersus luperantibus. Adhibebant itaque eam in explicandis fidei nostræ capitibus, insq[ue] primariis & fundamentalibus, atq[ue] imagines etiam, ex illa, eum in finem, sumserunt, ut ea quæ adversarii illorum credere noscebant, eo melius ab iisdem perciperentur, inq[ue] hac ratione, qualitercumque de veritate coelesti convincerentur, vel gentile argumentum gentibus obiiciebant potius, quam ut vera historiam eam probarent. Sic Cyprianus in explicatione Symboli, cum gentes non crederent, Filium natum esse a Patre ineffabili modo, exempli loco similitudinem adducit, sumptam a *Phœnicis* mirabili nativitate. Ad humanam Christi naturam, & conceptionem B.

Vir

(a) vid. Caussini hieroglyph. variis locis.

*Virginis* idem ex hac ave, qvæ sine conjugi nasceretur vel renasceretur, similitudinem duxit. Porro Clemens, ad probandam resurrectionem corporum, qvam non facile gentibus persuaderet, utitur *Phœnicis* argumento, qvem illæ resurgere credebant. Quemadmodum namque *Phœnix* non potest restaurari, nisi prius comburatur, & dissolvatur; ita quoque nisi moriantur corpora nostra, non possunt resurgere (b).

## §. V.

**H**is itaque præmissis, restat ut paucis indicebus, unde videantur hæc de *Phœnico* commenta originem traxisse, & quid hoc emblemate designatum primitus voluerint. Sunt, qui hac ave ejusque fatis generationem omnium animalium adumbrari contendant, cum ibi dissolvantur sensuum vires, & ex *Hippocratis* esta-

to,

[b] *Consuli de his potest Wolfgang. Franzius Hist. Animal. Parte II. c. III. p. 282. seqq.* qui de comparisonibus ejusmodi, prudentius instituendis, aliquanto prolixius agit. *Consultius* tamen est, ab ejusmodi similitudinibus, in rebus potissimum sacris, penitus abstinere.

tō , qvāsi parvo morbo comitiali laborent tunc animālia , qvo corporis compages sensusqve brevi intervallō dissolvantur & velut extingvantur , succrescente postmodum ex qvodam qvāsi vermiculo novo animali ( a ). Alii Phænicem fusile signum Hieroglyphicum Egyptiorum contendunt ; qvod aureo coeruleoqve colore cœlum arqe elementa , conversionem aliquam notabilem subeuntia , referret ( b ). Sed in primis binæ sunt de significatu hujus avis sententiae , dignissimæ , qvæ a nobis afferantur ; ultra vero probabilior sit , lectoris candidi prudentisqve arbitrio haud gravatim relinquisimus . Una Polyhistoris hyperborei Ol. Rudbeckii est , ( c ) qvi fabulam hanc de Phœnico vel ave Fani na esse septentrionalem , & ad solis , cui Fanini nomen vindicavit , cursum , qvalem septentrionis obseruat , nocte repræsentandum exco gitatam , plurimis evincere conatur argumentis . Delineari nimirum hac ave solis formam ,

## C

motum

( a ) Majoli dies caniculares , p. m. 203.

( b ) Malenii speculum imaginum veritatis occulta p. 883.

( c ) Atlant. p. II. p. 422, seq. Et alibi,

motum, discessum & redditum. Auro radians  
 caput & collum ipsum solis corpus significare,  
 purpureas alas auroram designare, cœruleam  
 caudam, cœli colorem esse. Per mortem &  
 cremationem avis designari contendit occasum  
 solis hybernūn, dum, nobis inconspicuus,  
*Ethiopiam* perurit. Restitutionem vitæ sub ver-  
 miculi reptantis forma significare solem rever-  
 tenteim & inter arbores velut repentem, donec  
 sensim ad altiora, alatus qvasi, progrediatur.  
 Porro docet, assignari huic avi tam ab exte-  
 ris scriptoribus qvam a domesticis, *avis Fani-*  
*na* & *Furi Scalda*, diversa vitæ spatia tria, qvæ  
 non de annis solaribus & lunaribus, sed de  
 diebus essent intelligenda, qvalem anni desi-  
 gnationem multis antiquissimis fuisse in uo per-  
 hibet. Primum spatum esset 300. dierum,  
 quo peracto, dies 65. vitæ expers deliteceret,  
 quod denotaret, solem a Cimmeriis ad lat.  
 gr. 69. sexaginta qvinqve diebus abesse, reli-  
 quis tercentis singulis annis conspici. Alterum  
 complectetur dies 1461. qvatuor nimirum an-  
 nos cum die intercalari uno, qui ex iis mo-  
 mentis colligitur, qvibus justo tardius *Phœnix*

<sup>19</sup>  
ex cineribus regeneratur. Tertia Phœnicis ætas esset dierum 6940. dum anni præterierunt 19. dumqve ortus & occasus puncta ad pristina temporum momenta redirent.

§. VI.

**E**x adverso Illustris peregrinator Kampferus variis & non contemnendis rationibus evincere satagit, sub ave Phœnice antiquos Arabes & Ægyptios metaphorice descripsisse palmarum familiam, quæ regionis calidæ inhabitatoribus & Cereris & Bacchi munia exhibet, & omnia fere largitur, quæ desiderari unquam possunt. Adeo ut nihil utilius humani generis œconomiae, nihil oculis gratius, concesserit Numen, palmis. Congruit præterea nomen, ~~Phœnicus~~ enim & *palma* & *avis* olim dicebantur & hodie dicuntur. (\*) Cuinam palmarum speciei metaphora hæc Phœnicis potissimum adscribenda esset, dubitatum fuit. Sed Ill. Linnaeus noster docuit, ea, quæ de Phœnice narrantur,

C2

(\*) Palmarum quandam speciem emori ~~Ægypti~~ renasci ex seipsa, retulit jam Plinius, adeoque homines putasse, phœnicem avem ex hujus palma argumento nomen accepisse. Libr. XIII. c. 4.

exakte coincidere, cum illo, ex palmarum classe, genere, qvod *Musa* vocatur, omnesque fere proprietates in ea conspicuntur, quas veteres *Phœnici* suo attribuebant. Ut *Phœnix* unica avis esse perhibetur, & singulari modo semet renovans; ita in integro regno vegetabili non est ulla planta, tam singularibus sexus & floris gaudens attributis, quam *Musa*, cum duplices flores hermaphroditos habeat, & feminini prius quam masculini floreant, unde non possunt semina perfecta in hac specie prodire, nisi plures plantæ simul positæ sint, vel est homini forte hujus plantæ ipsi utilissimæ propagatio commissa. Cumque *Linnæus* contendat, in primordio rerum unicum individuum utriusque sexus, ex singula specie, etiam in plantis, fuisse creatum, sequeretur inde, propagantibus se reliquis, hanc unicam solitariam, per aliquod tempus, existere debuisse. Quemadmodum *Phœnicem* hunc, non nisi unicum saltum pullum producere dicunt, eumque non prius quam ipse crematur; ita *palma*, unica gaudens florecientia, profert stolonem, eumque tunc tandem, cum ipsa jam ad interitum appro-

pin-

pingvat, destruitur ac perit. *Phœnix* tantum in locis terræ calidioribus versari prohibetur; nec *palma* hæc nisi in servidissimis regionibus crescit, atque frigus adeo aversatur, ut in remissiori calore raro & difficulter prognascatur, in *Euro-*  
*pa* nostra nunquam sub dio excrescere possit. Intra gr. 30. latitudinis loci utrinque ab æqua-  
 tore eam semet continere, testantur itineraria. Forma *Phœnici* tribuitur eximia, & magnitudo aquilam exæquans; insignis etiam est magnitu-  
 dinis & formæ *palma* hæc, foliis, ex descri-  
 ptione *Theophrasti* & *Pliniti*, avium pennas vel  
 alas referentibus. Diu *avis* hæc vivere, nec  
 nisi pluribus confectis annis, mori dicitur; *Mu-*  
*sa* quoque in caldariis nostris per decem  
 & plures annos superstes est, quamvis in Indi-  
 is annuo, sed semet renovante, gaudeat cau-  
 le, cum radix perennet. Fingitur ulterius *a-*  
*vis* hæc ante finem vitæ suæ construere nidum,  
 dulcisissimis & melleis aromatibus refertum, in  
 quo se ipsam a calore solis accensam cremari  
 sinit, & emoritur: ex propriis cineribus tan-  
 dem reviviscere, & priori temporis spatio vi-  
 tam transigere, dicitur; ita *palma* hæc ante  
 de-

destructionem racemum e summitate, ubi omnia sua gerit folia, prodit, florum nectare & fructuum odore maxime delectabilem & speciolum; mox ipsa calore venereo quasi consumitur, & in primo puerperio destruitur, e radice autem novus emergit stolo, quo planta suam speciem ac familiam conservat. Curiosum autem est, quod *Musa hæc*, velut præscia futuri, eodem die, quo racemus prodit e summitate, e radice novum illum stolonem, futuri temporis spem, protrudat (*a*).

(*a*) vid. Linnaei *Musa Cliffortiana*, circa finem.

